



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

100 Animas debitis suffragijs defraudantes, ad reconstructionem tenentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

adolescentes, & parvuli percipientes rarius sacramenta, minus inflammantur, consolidantur in fide fidelium, tepescit devotio, hæreses pullulant, & multiplicatur periculum animarum: præsentis constitutionis providemus edicto; ut Provincia, civitas, castrum, villa, locus, territorium, vel districtus, auctoritate ordinaria, vel delegata, pro pecuniario debito, vel pro cujusvis moneræ, vel pecuniæ quantitate interdicto ecclesiastico supponi minimè possint, & paulò post, si secus, irritum esse, & inane, & revocandum decernimus. Non obstante quibuscunque contractibus, obligationibus, pactis, conventionibus, compositionibus, submissionibus, fideiussionibus, consensibus, processibus, & sententijs desuper habitis vel habendis, juramentorum, pœnarum spiritualium, & temporalium, seu mulctarum, vel quacunque alia firmitate vallatis, nisi talis suppositio fiat de Apostolicæ Sedis licentia speciali, & expressa, per ipsius Sedis patentes litteras apparente, ut in constit. Bonif. VIII. de qua in Bull. Rom. cap. 1. pag. 35. quam Clemens Papa VIII. anno 1593 kal. Junij innovavit, illamque inviolabiliter observari decrevit, & mandavit, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac obligationibus in forma Cameræ, ut in constit. ejusdem Clementis in eod. Bull. cap. 35. pag. 339.

99 Ideò ¶ animadvertere debent iudices ecclesiastici, ne cujusvis obligationis, etiam in forma Cameræ Apostolicæ vigore, pro debito pecuniario Provincias, civitates, castra, villas, loca, territoria, vel districtus interdicto ecclesiastico

supponant, quia essent causa omnium malorum, quæ Bonifacius VIII. & Clemens VIII. Pontifices supra evitari voluerunt. Et præsertim, quòd quamplura suffragia mortuis tollerentur.

Sunt autem animæ cunctis, & rebus, & corporibus pretiosiores, cap. cum infirmitas, in fin. de pœnit. & remiss.

Unde, cum eorundem iudicum auctoritate fiat, ut interdicti tempore defunctorum animæ hujusmodi debitis suffragijs careant, ¶ tenerentur iudices ipsi ad restitutionem ex deducis per Grass. in decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 45. nu. 19.

101 Nec ¶ dicatur, quod contraria consuetudine dictæ constitutiones fuerint sublata: quia acta, quæ sunt contra leges, sunt nulla, cap. in nomine Domini, & ibi Felyn. in princip. de testibus, cap. videntes, & ibi gloss. 10. distinct. & Bacc. in l. non dubium, nu. 2. & 3. C. de leg. & quod nullum est non habetur in consideratione, cap. non præstat, & ibi gloss. de reg. juris in 6. Licet enim Auditor Cameræ solus, vigore obligationum Cameralium, facultatem habet censuras Ecclesiasticas promulgandi, ut in facultatibus, de quibus in Bull. Sixti Papæ Quinti, cap. 28 pag. 153. §. præterea.

102 ¶ Nullam tamen habet specialem contra Provincias, communicatas, & Universitates interdicta promulgandi, prout requiritur ex forma dictarum constitutionum, ibi, nisi talis suppositio fiat de Apostolicæ Sedis licentia speciali, & expressa per ipsius Sedis patentes litteras apparente, quæ verba specialem formam important, & dictæ constitutiones habent decretum irritans, ibi &, si secus fiat, irritum, &c. quod decretum omnia